

3. *Ex experientia*: Constat experientia propria et aliena, nos saepe cogitare de rebus in se pulchris tum spiritualibus, tum sensibilibus, e. g. de anima, virtute, Deo, flore, melodia, quin sensus pulchri sive delectatio habeatur; haberi tamen, quotiescunque illae res pulchrae non modo abstracto, sed concreto et sensibili, saltem per phantasiam, nobis repraesentantur. Ergo ad pulchritudinem subiective gustandam requiritur sensibilis eius repraesentatio.

4. *Ex natura artium*: Artium est, rerum perfectiones nobis modo maxime proportionato exhibere. Atqui omnes artes adhibent media sensibilia, sua quaeque propria: colores, sonos, figuras, verba ad phantasiam excitandam. Ergo ut pulchrum sentiatur, oportet modo sensibili proponatur.

Coroll. I. *Modus expressionis sensibilis*: Pulchrum autem duplici modo potest per signa sensibilia praesentari: 1. Ita ut directe in rebus ipsis sensibilibus appareat (das Naturschöne); et hoc modo tota natura visibilis organica et anorganica magnam prae se fert pulchritudinem: perfectione, ordine, splendore, varietate, immensitate; iure enim vocatur: drama praeclarissimum, pictura et imago grandiosa, sculptura non mortua, sed viva et incorporata, templum Dei magnificum; architectura omnium praestantissima; symphonia et harmonia perennis ad laudem Dei.<sup>1)</sup>

2. Ita ut primum mente concipiatur et signo sensibili exprimatur, et hoc modo pulchrum invenitur in arte (das Kunstschöne). Iam vero duplici modo sic pulchrum exprimi potest: a) *directe*, i. e. modo rei pulchrae *connaturali*, si forma sensibilis perfectionem rei immediate repraesentat neque aliud quidquam per se significat; et sic artes in genere pulchrum exprimunt, e. g. imagines admirabili pulchritudine a Fra Angelico da Fiesole in monasterio s. Marci Florentiae depictae, coena ultima a Leonardo da Vinci in monasterio s. Mariae della Grazia Milani depicta; b) *indirecte* sive *symbolice*, si signum sensibile per se habet aliam significationem, sed ex arbitrio, i. e. associatione libera idearum ad aliud significandum adhibetur. Hoc modo flores sunt signa virtutum: viola humilitatis, lilius castitatis etc. Hac significatione symbolica fundatur pulchritudo figurae rhetoricae: allegoriae, metaphorae, fabulae, parabolae etc. Hoc modo omnes res creatae habent etiam quandam pulchritudinem symbolicam, si quidem a Deo ordinatae sunt ad eius perfectiones, i. e. existentiam, sapientiam, bonitatem, potentiam etc. manifestandam. c) Tertio denique si signum ex associatione spontanea idearum pulchrum aliquod significat, e. g. ruina quaedam excitans venerationem antiquitatis vel nobilitatem, fortitudinem quondam ibi habitantium; undae fluminis excitantes affectum mutabilitatis sortis humanae, ortum ex desiderio felicitatis nunquam periturae etc.

II. *Relatio inter pulchrum eiusque signum sensibile*: Quaeritur, utrum signum sensibile ipsum pertineat ad formalem rationem pulchritudinis, an sit medium sive *conditio* solum necessaria nobis ad sensum pulchritudinis habendum. Pulchritudinem non esse in solo signo eius visibili sive in sola forma,

<sup>1)</sup> Cfr. Gutberlet, Naturphilos. p. 132.

uti „Formalistae“ censent, patet ex supra dictis; et per hoc sensistae refutantur. Sed signum sensibile sive forma sensibilis non a parte rei requiri ad pulchritudinem saltem inadaequate in se sive *obiective* constituendam patet 1<sup>o</sup> ex eo, quod etiam res spirituales ex omnium consensu sunt pulchrae; immo magis pulchrae quam sensibiles; 2<sup>o</sup> res sensibiles quoque sunt pulchrae propter qualitatem aliquam *intelligibilem*, ut ostendimus; 3<sup>o</sup> forma sensibilis vel spectatur, ut est *forma*, et tunc habet proportionem ad perfectionem rei manifestandam ac proinde ipsa particeps est pulchritudinis per se *non sensibilis*; vel spectatur, ut est *sensibilis*, et sic non differt ab aliis obiectis sensuum neque habet rationem pulchritudinis; 4<sup>o</sup> forma sensibilis pertinet ad cognitionem sensitivam, siquidem est eius medium. Atqui cognitio non facit, sed supponit suum obiectum. Ergo forma sensibilis cognitionis non pertinet ad ipsam rem, i. e. pulchritudinem cognitam.

Qui igitur formam sensibilem statuunt<sup>1)</sup> esse elementum ipsius pulchritudinis, confundunt pulchritudinem *effective* consideratam, i. e. delectationem actualem pulchri cum pulchritudine *obiective* sive *fundamentaliter* et *formaliter* spectata, vel *medium* repraesentationis (colores, figurae, soni etc.) cum *re pulchra* repraesentata. Res in se pulchrae sunt, etiamsi qua tales non actu cognoscuntur vel repraesentantur, neque per nostram cognitionem sive delectationem formaliter pulchrae constituuntur. Ut autem pulchrum ut pulchrum a nobis *cognoscatur* et *delectationem* afferat, requiritur forma sensibilis vel naturalis, vel artificialis, vel saltem phantastica, ut *plena* sit cognitio nostra et *adaequata* (intellectualis et sensibilis), utque affectus et *intellectualis* et *sensitivus* excitetur, ac proinde *totus* homo pulchri intuitionem percipiat. Ergo forma sensibilis per se non est nisi *conditio necessaria* ad pulchrum sentiendum.<sup>2)</sup> Et haec quidem theoretice; *practice* autem artifice non refert, utrum forma sensibilis sit conditio necessaria an elementum formale pulchri, quia pulchrum non nisi per formam sensibilem repraesentare potest.

Res igitur spirituales, ut pulchrae nobis appareant, sensibilem quodammodo formam in *cognitione nostra* induunt vel per artem humanam (e. g. imagines angelorum), vel per phantasiam nostram, quae est omnium maxima artifex; res vero materiales per intellectum ad statum idealem evehuntur, quando signa fiunt idearum nostrarum per artem vel phantasiam. Unde in pulchro concipiendo homo omnes res quodammodo suae naturae intellectuali simul et sensitivae assimilat, rebus spiritualibus formam sensibilem quasi corpus tribuens, rebus materialibus ideam quasi animam inspirans.

III. *Ex dictis facile refutatur Lessingii argumentatio*: Illud est obiectum artis, quod ars per se sola efficere potest. Atqui ars picturae et sculpturae solae possunt pulchritudinem *corporalem* repraesentare. Ergo earum obiectum est *corporalis* pulchritudo.<sup>3)</sup>

*Resp.* 1<sup>o</sup> Retorqueo: ars picturae etc. sola potest quadrata pingere. Ergo? Homo solus potest peccare. Ergo?

<sup>1)</sup> Cfr. Gietmann, l. c. p. 259 u. 388 etc. porro „Kunstlehre“ p. 89 sq. Quodsi Kuhn l. c. p. XI dicit: „Im schönen Gegenstand sind Idee u. Form gleich wichtig“, non loquitur, nisi de rebus pulchris *sensibilibus*. — Bene de hac re J. Donat S. J., Philos. Jahrb. 1900, p. 239 sq.; — contra Gietmann ibid. 1901, Heft 3 et 4. <sup>2)</sup> Cfr. Frick, Ontolog., p. 192 sq. <sup>3)</sup> Cfr. Jungmann, l. c. 586 etc.; Kuhn, l. c. I, p. 6 sq.

2<sup>o</sup> *Dist. maior.*: quod potest et *debet* efficere — conc.; quod solum potest — nego. Confundit igitur *media* artis cum eius *obieto*; *media* artis sunt quidem formae corporales, sensibiles; obiectum autem est pulchritudo per illa *media* repraesentanda.

3<sup>o</sup> Si illa sententia vera esset: a) artes illae non deberent actionem ullam („transitorischen Ausdruck“) repraesentare, quod tamen ipsi Lessing repugnat requirenti, ut pictor et sculptor momentum illud repraesentet, ex quo et priora et posteriora facile deducantur; et repugnat operibus artis praestantissimis, quae actiones exprimunt (i. e. momenta transitoria, e. g. Laokoon, ultima coena a Leonardo da Vinci; transfiguratio Christi a Raphaele depicta<sup>1)</sup>); b) illae artes deberent corpora nuda repraesentare, quod ipse Lessing<sup>2)</sup> et alii inde deduxerunt: Ficher, Krug, Nüsslein, Schnaase, Riegel, Lübke, Vischer etc. Hoc autem et rationi et historiae artis florentissimae<sup>3)</sup> repugnat.

IV. *Ars non est sibi ipsi finis.* Est axioma quoddam moderni „Realismi“, artem non spectare nisi pulchritudinem; hanc esse solam legem ei observandam, neque esse ulli fini morali subordinandam, ut nonnunquam Goethe, Schiller, Krug, Nüsslein, Fick et alii.<sup>4)</sup> Quodsi his verbis finis operi artis prorsus extrinsecus, neque naturalis intelligitur, quemadmodum est e. g. delectatio praesertim sensualis, vel utilitas materialis, assentiendum est; pulchrum enim propter se ipsum delectabile est. Sed nullo modo finis operi artis intrinsecus et naturalis vel ei superior excluditur; immo hic requiritur: 1<sup>o</sup> *ex natura pulchritudinis*: pulchrum enim vocatur, quod ex omni genere perfectum est; maxima autem rerum perfectio in eo est, ut fini subordinentur; 2<sup>o</sup> *ex natura humana*: homo enim rationalis non potest delectari de re, quae moribus non est conformis; 3<sup>o</sup> *ex historia* artium; nam artes omnes, saltem initio et tempore perfectionis, semper intendebant, ut homines ad Deum colendum, virtutes amandas vitiaque fugienda adhortarentur, et dona Dei esse putabantur (Grazien); unde Pythagoras, Plato et Aristoteles censebant finem artium esse, affectus purificare et ne quid lascivi praesertim iuventuti artibus suggereretur, legibus cavendum esse decernebant. Neque minus Lessing et Schiller aliis locis naturae voci obedientes eandem statuebant sententiam.<sup>5)</sup>

Deus igitur rebus pulchritudinem tribuit, sicut cibus gustum gratum, non quasi gustus sit finis ciborum, sed gustus ordinatur ad cibos sumendos, qui nobis necessarii sunt ad vitam sustentandam. Simili modo res sua pulchritudine nos delectant, ut facilius nos et efficacius excitent ad Deum cognoscendum et virtutes colendas, quibus finis noster ultimus obtinendus est: vita aeterna, beata.

V. *Non necesse est propriam facultatem ad pulchritudinem percipiendam statuere*: Saeculo elapso Tetens primus facultatem animae novam statuit, ad quam affectus animi, praesertim vero sensus pulchri pertineret. Hanc opinio-

<sup>1)</sup> Jungmann, l. c. 610. <sup>2)</sup> Laokoon V. <sup>3)</sup> Jungmann, l. c. 600. Cfr. Hochland I, 622: „Nackt und Entkleidet.“ Porro vide, quae Soerensen, Kunstlehre: „Malerei, 1901, IV, p. 124 sq. de hac quaestione tam liberaliter, quam prudenter dicit. <sup>4)</sup> Jungmann, l. c. p. 477 sq. Stöckl, l. c. p. 148 sq. <sup>5)</sup> Jungmann, l. c. 448–477. Cfr. etiam Volkelt, l. c. p. 515.

nem Kant suam fecit, indeque plerique apud nos novam illam facultatem (Gefühlsvermögen) admiserunt. Sed sicut illa nova facultas nullo modo necessaria est ad alios affectus explicandos, ita etiam ut sensus pulchritudinis reicienda est.

*Prob. 1<sup>o</sup> Ex natura pulchritudinis*: Pulchritudo formalis est perfectio rei clare apparens propter se delectabilis. *Atqui* ad percipiendam rei perfectionem requiritur et sufficit intellectus; ad formam vero sensibilem, qua pulchrum nobis apparet, percipiendam sufficiunt sensus sive externi, sive interni, i. e. phantasia. *Ergo* non requiritur sensus specialis ad pulchritudinem percipiendam.

2<sup>o</sup> *Ex effectu pulchritudinis*: Effectus formalis pulchritudinis est delectatio intuentis. *Atqui* ad hanc delectationem sufficit: a) *voluntas*, quae delectatur bono sibi convenienti vel physice vel intentionaliter possesso; non est enim alia vis, qua magnes ferrum attrahit et qua attractum retinet.

b) *Accedit* ad delectationem voluntatis etiam similis affectus *appetitus sensitivi* ortus ex rei pulchrae forma sensibili et convenienti percepta, sicut gustus suavis ex cibo convenienti, ita ut facultates hominis et superiores et inferiores plene consentiant et totus homo in pulchro contemplando requiescat et quietetur. Unde tanta vis artium ingenuarum: musicae, cantus, poesiae, picturae; tanta admiratio operum naturae. *Ergo* ad pulchri sensum et delectationem nova facultas non requiritur.

*Scholion 1.* Pulchro opponitur *deforme sive foedum*, et est illud, quod visum displicet et quidem propter se, vel quia aliquid ei deficit, vel quia eius perfectio non modo proportionato intuenti proponitur. Sicut pulchrum, ita et deforme potissimum dividitur ratione obiecti in *deforme naturale* et *artificiale*.

I. *Deforme naturale* est res in rerum natura existens, quae 1<sup>o</sup> caret aliqua perfectione debita sive *essentiale* (integrali), e. g. homo mortuus, oculo aliquo privatus; rosa foliis privata; sive *accidentali*, ut facies hominis morbo deformata; rosa putrida, dies pluviosus; sive *finali*, ut terra inculta, deserta; homo vitiosus, ebrius, pomum putridum etc.

2<sup>o</sup> Si perfectio naturalis non satis *cognoscitur*, vel propter *medium* cognitionis ineptum; e. g. regio per se pulcherrima, sed nebula, pluviis contristata; vel propter *nostram ignorantiam*, e. g. homo agrestis non sentiens regionis amoenitatem, neque delectatus mirabilibus naturae operibus; vel propter *specialem dispositionem* corporis (nervorum dispositio abhorrens a musica, a certis coloribus) sive animi (ideae praeconceptae, associatio idearum libera vel spontanea rei aversionem excitans etc.)

II. *Deforme artificiale* est illud, quod arte et opera hominis efficitur. Quum igitur rei pulchritudo obiective consistat in eius perfectione (veritate et bonitate), deforme artificiale adest:

A. *Ratione obiecti* 1<sup>o</sup> si opus artis repugnat *veritati*<sup>1)</sup>: a) *metaphysicae* sive *philosophicae*, repraesentando quod impossibile est vel certe errorem includit, e. g. offendendo principium causalitatis; sic si Pantheismus, Polytheismus, Materialismus poetice, rhetorice, vel plastice celebraretur.

<sup>1)</sup> Cfr. Goethe, apud Bone, Leseb. II, p. 651 sq.; Kuhn l. c. III, p. XLVIII sq. Stöckl, l. c. p. 160 sq.

b) Veritati *naturali*, i. e. legibus physicis, e. g. gravitatis, causalitatis etc. e. g. corpus sine adminiculo in alto suspensum; homo sine alis vel alio medio volans; aedificium, turris, cuius pars superior maior apparet vel gravior, quam inferior.

c) Veritati *psychologicae* sive *moralis*, si ars peccat in leges psychologicas, e. g. drama non recte explicatum ex characteribus; „Deus ex machina;“

d) Veritati *historicae*, si ars facta historica, personas, characteres ignorat vel arbitrarie quoad *essentiam* immutat.<sup>1)</sup> Unde saltem rei verisimilitas in inventione artistica requiritur. Sic Aristoteles vituperat Sophoclem, in „Electra“ ludos pythicos 500 demum annos post factum institutos introducens. Patet, eiusmodi defectus in rebus naturae esse non posse.

2<sup>o</sup> Si opus artis repugnat *bonitati rei*: a) eius perfectioni *essentiali* (integrali) vel *accidentali*, e. g. artifex rem defectuosam *per se* (non ratione oppositionis, i. e. ad perfectionem alterius rei magis illustandam) repraesentans (torso; hominem deformem, caecum); b) praesertim perfectioni *finali*: unde patet, deforme esse opus artis, in quo nulla sit unitas ordinis partium ad totum; praesertim quando deficit ordinatio ad finem homine dignum. Deforme est igitur, quidquid contra mores, fidem, religionem, virtutem peccat. Quare veteres iure artis opera quaedam interdixerunt.<sup>2)</sup>

Facile inde elucet, *per se* non licere artificibus, corpora humana nuda repraesentare, quia repugnat *veritati naturali*; homines enim honesti et culti non nudi incedunt, neque corpus ullam habet pulchritudinem nisi per animam et cum anima coniunctum; a corpore mortuo omnes abhorrent; *veritati psychologicae*, quia honestas et verecundia vetat, ne nudi appareamus, et aspectus hominis denudati alios affectus minime pulchros excitat; *veritati historicae*, quia homines, nisi prorsus agrestes et bestiales, nunquam nudi incedebant, praesertim si erant origine, officio, dignitate praestantes, ut Laokoon ex regia stirpe et sacerdos Apollinis; *legibus moralibus*, quae vetant, ne quid aspiciamus cum delectatione, quod motus pravos concupiscentiae sensitivae excitat; *fini artis*, qui est delectatio honesta homine digna, i. e. in quantum differt a bruto, vel saltem honesta recreatio; *dignitati artis*, quae tempore perfectionis suae eiusmodi obiecta respuebat.<sup>3)</sup> Neque recte Schiller, Vischer, Krug, Ficker et alii putant, sublimitatem (das Erhabene) posse inveniri in magno quodam gradu malitiae, e. g. desperationis, suicidii, furoris, blasphemiae, ut in diabolo, Promtheo, Medea, Catilina etc. Confundunt enim affectum admirationis, quae sublimitate rei pulchrae excitatur, cum affectu horroris, qui ex facinore percepto nascitur.

B. *Ratione modi* repraesentandi deforme habetur, si modus repraesentandi (forma sensibilis) vel *rei* vel *intuenti* non est proportionatus. Forma igitur sensibilis, qua pulchrum exprimitur, debet esse: a) *naturalis* et *vera*

<sup>1)</sup> Cfr. Lessing, Hamb. Dramat. XXIII, XXXIII, XXXIV; Horatius ad Pisones. Quare Schiller non recte poetae non nisi veritatem poeticam sequendam esse censet (Ueber trag. Kunst). <sup>2)</sup> Plato de republica, l. 2 et 3; Aristot. de art. poet. 15; Quintilian. Instit. orat. I, 8; Lessing, Laokoon, II; Ges. Werke, 1864, II, p. 5 sq. Schiller, Über den Grund des Vergnügens an trag. Gegenständen, vide apud Jungmann, pag. 245. <sup>3)</sup> Cfr. Jungmann l. c. pag. 617 sq.; Gietmann l. c. p. 341.

i. e. conveniens ratione personae, officii, loci, temporis, circumstantiarum etc.; unde potest peccari per *defectum*, si est vel indecens vel indigna (quoad verba, colores, actiones etc. — Realismus, Cynismus), et per *excessum*, si rei dignitatem superat (geziert und affektiert, e. g. Barock und Rococo); b) *clara et perspicua*, ita ut rei pulchritudinem facile et primo intuitu manifestet; peccatur igitur per *defectum*, si forma rei est obscura neque bene disposita, vel si singulae partes mentis contemplationem a toto nimis distrahunt (überladen, geschmacklos); vel si symbola sive signa, quibus res pulchra exprimitur, non habent naturalem nexum cum re expressa, vel facile perspicuum, vel consuetudine et usu satis notum. Peccatur vero per *excessum*, si artifex media artis suae cum aliis confundit; e. g. si pictor poetam agit, vel poeta pictorem; si forma repraesentandi est nimis *trivialis*, uti dicunt, i. e. nil novi exhibens, mera aliorum imitatio, quae intuentem tandem fatigat atque taedet.<sup>1)</sup>

C. *Ratione gradus* distinguuntur diversae *species* deformitatis: *Terribile*, quod *damna magna* homini vel eius operibus affert horroremque et sensum infirmitatis nostrae excitat; *foedum*, quod significat defectum aliquem perfectionis *debitae*; *ridiculum*, quod defectum, sed *non nocivum* supponit; de hac specie quid sit, multum disputatur.

Ab Aristotele<sup>2)</sup> definitur: „Aliquod deforme, quod tamen neque dolorem neque damnum afferat“; cui definitioni Cicero<sup>3)</sup> assentitur dicens, ridiculum non pertinere ad rationem pulchri, ut Ficker, Vischer cum nonnullis censent.<sup>4)</sup> Ridiculum dicitur defectus, qui neque dolorem neque damnum affert, vel „turpitudine non turpiter“, quia si defectus est gravis rei essentiam vel finem corrumpens, affectus tristitiae, compassionis vel, si est defectus moralis, aversionis, indignationis excitatur, qui affectum risus impedit. Ridiculum igitur potest inveniri *in re ipsa* et *in modo*, quo manifestatur.

a) *In re ipsa* est aliquis defectus accidentaliter, qui tamen neque dolorem neque damnum, saltem non grave, inferat ac proinde perfectionem rei essentialem et finalem non impediatur. Ita figura hominis certo modo deformata potest risum movere, e. g. os distortum, nasus oblongus, modus incedendi, vel si quis, non attendens vel superbiens, in terram cadit modo singulari, quin tamen damnum inde resultet.

b) *In modo*, quo res apparet, invenitur ridiculum, si rei apparentia cum ipsa re non est proportionata, quin tamen hic defectus proportionis sit magni momenti. Sic ridiculum in hominum modo loquendi et operandi per eorum stultitiam, imprudentiam, vanitatem saepe sine intentione invenitur iuxta illud poetae: „Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus“, vel etiam expresse intenditur. Itaque si homines serii vel qui deberent esse serii, habitu vel gestibus vel verbis homines stultos vel pueros imitantur, habentur ridiculi; si pueri tanquam adulti habitu vel gestibus apparent, vel homines feroces sicut culti, ridiculum habetur (Carneval).

*Ars* autem (poesia, pictura, sculptura, cantus, musica) potest duplici modo ridiculum efficere: 1<sup>o</sup> *rem seriam* formam non proportionatam, i. e. ridiculam repraesentans, e. g. facetiae in conversatione; et vocatur *travestia* in poesia,

<sup>1)</sup> Cfr. Stöckl, l. c. p. 166 sq. <sup>2)</sup> Poet. c. 5: ἀμάρτημά τι ἀνώδονον καὶ οὐ φθαρτικόν; eum sequitur Lessing, Laokoon XXIII. <sup>3)</sup> De orat. II, 58. <sup>4)</sup> Cfr. Jungmann, p. 275. Neque Kuhn ridiculum satis a pulchro secernit l. c. III, p. XXXVI sq.

vel *carricatura* in pictura; et quo sublimior res est, eo magis fit ridicula, si in forma indigna proponitur. Unde non mirum, tam facile esse, verbis S. Scripturae, fide, religione, virtutibus abuti ad risum excitandum. Patet, hoc modo non permitti travestiam, quia adesset inordinatio finalis.

2<sup>o</sup> *Rem levem sive stultam* modo serio vel sublimi exhibere, et haec species ridiculi vocatur *parodia*, quam Aristophanes apud Graecos saepe adhibebat. Est species parodiae, si bruta inducuntur loquentia vel ut homines se gerentia. Patet, hanc quoque speciem ridiculi facile abusui esse obviam. Delectatio immoderata in ridiculo est signum levitatis, quum ridiculum semper supponat defectum aliquem, haecque consuetudo facile abeat in malitiam convitiandi.

c) Quaeritur *ratio psychologica*, cur ridiculum risum moveat, quum tamen supponat defectum. Aristoteles rationem putat esse quendam lusum sive recreationem animae<sup>1)</sup>; S. Thomas, esse quietem quandam animae delectationemque certam *animalem*.<sup>2)</sup> Videtur igitur illa apprehensio defectus rei *non nocivi*, seu illius incompatibilitatis inter rem eiusque defectum, sive inter rem et formam per phantasiam excitare quendam motum nervorum, quo risus efficitur. Accedit forte quaedam apprehensio nostrae propriae perfectionis oppositae defectui, e. g. stultitiae sive vanitati aliorum, quam apprehensionem sequitur delectatio quaedam de perfectione propria simul cum quadam aversione intellectuali et sensibili ab alieno defectu.<sup>3)</sup> — Sed quidquid sit de natura ridiculi, Deus concessit nobis hanc prae aliis facultatem, quae supponit rationalem naturam, tum ad honestam recreationem animumque relaxandum (Comoedia), tum ad defectus hominum, praesertim vanorum, manifestandos et corrigendos, modo ne usu huius facultatis excedatur.)

### § 5. De necessario et contingenti.

1. *Notio et divisio*: *Necessarium* vocatur, quod non potest non esse; *contingens*, quod potest esse et non esse. Necessitas autem potest esse a) *ratione fundamenti*: *Metaphysica*, si fundatur in rerum essentia, e. g. circulus rotundus; hoc modo omnis res quoad essentiam suam necessaria est, sive existat sive non, sive sit substantia sive accidens. *Physica*, si fundatur legibus naturae, i. e. in rerum existentia; hoc modo non omnis res necessaria est, quia res finitae possunt esse et non esse. *Moralis*, quae fundatur legibus moralibus in entibus rationalibus, et haec proprie convenit operationibus hominum liberis, quae in se sunt indifferentes ad esse et non esse.

(b) *Ratione perfectionis*: Necessitas *absoluta* (antecedens, simpliciter), quae sub omni conditione verificatur et rei essentialis est; coincidit cum necessitate metaphysica; *hypothetica* (consequens, secundum quid), quae supponit aliquam conditionem, sc. rei existentiam; comprehendit et physicam et moralem necessitatem.)

<sup>1)</sup> Rhetor. I, 11. <sup>2)</sup> S. Theol. II, II, qu. 168, a. 2. <sup>3)</sup> Cfr. Gutberlet, Metaph. p. 156. Alias explicationes vide apud Jos. Müller, Philos. des Schönen etc., Wesen des Humors; Philos. Jahrb., 1899, p. 177.

c) *Ratione obiecti et status*: Necessitas *essendi*, quae et res existentes et possibles complectitur; necessitas *existendi*, quae est vel absoluta et antecedens, et vocatur *ens a se*; vel *hypothetica seu consequens*, quae sequitur rei productionem per causam efficientem, et vocatur *ens ab alio*; necessitas *operandi*, quae in rebus per naturam operantibus invenitur et opponitur libertati, quae in entibus ratione praeditis inest, quando ex propria determinatione operantur.

(2. *Contingens* igitur est, quod potest esse et non esse, et dividitur: a) *Ratione modi* in *contingens simpliciter*, quod nondum existit, ut mere possibile, non quoad possibilitatem — nam haec est necessaria — sed quoad existentiam; et *contingens secundum quid*, quod existit quidem, licet ex se sit indifferens ad existendum; et hoc modo omnes res finitae existentes sunt contingentes secundum quid et simul hypotheticae necessariae, in quantum existunt.<sup>1)</sup>)

b) *Ratione obiecti* contingens *ad existendum*, quod comprehendit sive substantias sive accidentia, in quantum ex se sunt indifferentes ad existendum; contingens *ad operandum*, quod significat principia activa, in quantum nondum sunt determinata ad operandum sive ex se, ut entia libero arbitrio praedita, sive ab extrinseco, ut entia ex naturae necessitate agentia.

*Ens contingens* proprie vocatur illud, quod ex se est indifferens ad existendum abstractione facta, utrum actu existat necne, et sic opponitur *enti necessario*, quod proprie significat ens necessario existens et quidem necessitate absoluta metaphysica.)

*Thesis XXXXI*: Sunt entia tum contingentia, tum necessaria.

(*St. qu.* 1<sup>o</sup> Prima pars thesisi est contra Pantheistas, Fatalistas, Materialistas, qui omnia vel partem entis absoluti habent vel necessario evenire censent.

2<sup>o</sup> Altera pars illos refutat, qui nihil absoluti et necessarii esse putant, sed omnia in fluxu perpetuo esse atque evolutione continua, ut Evolutionistae, Sensistae, Darwinistae.)

3<sup>o</sup> Statuimus in hac thesi, saltem rerum *essentias* esse necessarias; *existere* autem revera ens aliquod absolute necessarium, i. e. Deum, in theologia naturali ostenditur.

#### I. Existunt entia contingentia.

*Prob. 1. Ex possibilibus*: Contingens est, quod potest existere et non existere. *Atqui* multa sunt possibilia, quae non existunt, possunt tamen esse, e. g. alii homines, lapides, stellae etc, *Ergo* . . .

<sup>1)</sup> S. Thom. S. Theol. I, qu. 19, art. 3.

2. *Ex rebus existentibus*: Res quae existunt: a) sunt ortae et pereunt; b) quoad modum existendi et operandi sunt indifferentes, i. e. possent alio modo esse et operari. *Atqui* quod oritur, aliquando potuit esse, et quod perit, potest non esse; quod indifferens est ad certum modum existendi et operandi, potest esse et non esse sive operari diversis modis. *Ergo* . . .

(3. *Ex absurdis*: Nisi essent res contingentes: a) nihil posset oriri neque perire, i. e. non essent possibilia; b) nulla res posset esse vel operari alio modo atque eo, quo est vel agit; c) omnia possibilia deberent existere; d) neque posset esse actio libera, neque dispositio rei futurae (commercium etc.); omnia necessitate fierent vel essent, quae omnia et rationi et experientiae repugnant. *Ergo* . . .)

## II. Est necessarium aliquod ratione essentiae.

*Prob. 1. Ex rerum essentia*: Essentiae rerum abstrahunt ab earum existentia contingenti et verificantur etiam in possibilibus. *Atqui* possibilia sunt immutabilia ac proinde necessaria. *Ergo* et rerum essentiae sunt immutabiles et necessariae.

2. *Ex natura scientiae*: Scientia qua talis est de veritate necessaria. *Atqui* necessitas non invenitur in rebus quoad existentiam.

*Ergo* saltem rerum essentiae debent esse necessariae, siquidem scientia est obiectiva. (Cfr. supra p. 405 sq.)

*Thesis XXXVII: Ens a se est necessario existens, immutabile, infinitum, absolutum, aeternum, unicum.*

*St. qu. 1<sup>o</sup> Ens a se est illud, quod existit et rationem existentiae suae non aliunde, sed in se habet. Eiusmodi ens possibile, immo necessarium esse, ex eo patet, quod res multae de facto existunt, quae vel a se ipsis, vel a causis tandem a se existentibus debent habere suam existentiam. Quare omnes fere admittunt, aliquod ens a se existere; dissentiunt de natura huius entis a se, quod alii habent spirituale, alii materiale, alii utrumque simul. Hoc loco autem supponimus, ens a se existere, et probamus, ens a se, si existat, necessario existere, ita ut neque oriri, neque perire, neque alio modo existere possit, et debere esse ens infinitae perfectionis.*

(*Ens immutabile est illud, quod ratione essentiae, existentiae, modi existendi nullam perfectionem acquirere, nullam amittere potest. Quum autem omnium rerum essentiae sint immutabiles, sufficit ostendere, ens a se ratione existentiae et modi existentiae suae esse immutabile. — Ens infinitum vocatur, quod omnes perfectiones simplices modo infinite perfecto possidet. — Ens absolutum vocatur, quod sub omni ratione est independens, quasi ab omnibus vinculis solutum; quamvis alia entia ab eo dependere possint, ipsum tamen nullo modo dependet. — Unicum est, quod non habet simile in suo ordine.*

2<sup>o</sup> Adversantur nobis omnes *Atomistae et Pantheistae*, qui ens absolutum suum sive materiale sive spirituale concipiunt initio prorsus informe, vel tanquam purum nihil physicum, quod ob aeterno ex immanenti activitate per infinitas transmutationes sese evolvat et perficiat, mundum visibilem universum formaliter constituens. *Renouvier* negat, Deum, si existat, posse esse infinitum et aeternum, quia infinitum in se repugnare existimat et probabiliter plura entia a se existere (Polytheismus). Simile aliquid sentit *Dühring* de ente a se existente.<sup>1)</sup>

## I. Ens a se necessario existit.<sup>2)</sup>

*Prob. Ex natura entis a se*: Quidquid existit vi essentiae suae, necessario existit. *Atqui* ens a se existit vi essentiae suae. *Ergo* ens a se necessario existit.

*Prob. maior.*: nam a) essentiae rerum sunt necessariae; ergo ens, cuius essentia in se habet existentiam, necessario existit, (sicut circulus necessario existere deberet, si existentia ei eodem modo necessaria esset ac rotunditas.

b) Si illud ens non necessario existeret, sed contingenter, si igitur posset esse et non esse, quum tota ratio eius existentiae sit eius essentia, haec simul esset ratio existentiae et non esset (ex supposito) ratio existentiae, quod repugnat. *Ergo* quod existit vi essentiae suae, necessario existit.)

*Prob. min.*: Ens a se est illud, quod totam rationem essendi et existendi habet in se. *Atqui* rationem existentiae non potest habere in se a) per aliquam *efficientiam* seu productionem sui ipsius; secus enim deberet esse, priusquam esset, et existentia eius ut effectus realis ab essentia realiter differret<sup>3)</sup>; b) neque per meram suam *possibilitatem*; alioquin omnia possibilia deberent esse a se et existere. *Ergo* habet rationem existentiae formaliter, i. e. in sua essentia ac proinde necessario existit.

## II. Ens a se est ens immutabile.

*Prob. 1. Ex conceptu entis a se*: A. Ens a se necessario existit. *Atqui* quod necessario existit, non potest esse mutabile: a) quoad existentiam in genere, quia eam neque acquirere neque amittere potest; b) neque quoad modum existendi, (quia quidquid existit, certo modo existere debet, ac proinde quod necessario existit, etiam necessario certo modo existit, unde hunc modum existendi neque

<sup>1)</sup> Cfr. Überweg-Heinze, IV<sup>o</sup>, p. 399 et 264. <sup>2)</sup> Cfr. Aristoteles, *Metaphys.* XII, c. 6—7. <sup>3)</sup> Cfr. supra p. 396 et 512 sq.

acquirere neque amittere potest; quod autem mutabile est, alium modum existendi acquirere potest, ac proinde est indifferens ad plures modos existendi.)

B. Ens a se per essentiam suam existit; unde eius existentia et modus existendi aequae necessaria sunt atque eius essentia. *Atqui* essentia rerum et a fortiori essentia entis a se est absolute necessaria et immutabilis, sicut circulus necessario est rotundus, neque unquam in quadratum mutari potest. *Ergo* ens a se est immutabile.

(2. *Ex absurdis*: Si ens a se esset mutabile, esset indifferens ad existendum et ad plures modos existendi ac proinde esset contingens. *Atqui* ens a se, quicquid est, est per suam essentiam, et per consequens esset per essentiam suam necessarium, ut probavimus, simulque contingens ex suppositione; hoc autem in eodem subiecto sibi repugnat. *Ergo* ens a se est immutabile.)

### III. Ens a se est ens infinitum.

(*Prob.* 1. *Ex conceptu entis a se*: Ens a se habet in se ipso, i. e. in sua essentia rationem sufficientem, cur existat et certo modo existat. *Atqui* ens finitum non potest in se habere rationem, cur existat et certo modo existat. *Ergo* ens a se est infinitum.

*Probo maiorem*: Nisi ens a se esset ex se determinatum tum ad existendum, tum ad certum modum existendi, deberet aliunde determinari, ac proinde ex essentia sua deberet simul existere certo modo et non existere certo modo; esse ens a se et simul ens ab alio, quod repugnat.

*Probo minorem*: 1<sup>o</sup> Si ens finitum rationem existentiae suae in se haberet: a) iam necessario existeret, quod repugnat eius naturae, siquidem ut finitum potest esse et non esse; et repugnat experientiae, quae docet, res finitas oriri et perire; b) non posset reddi ratio, cur certus numerus rerum finitarum existat, aliae autem res indefinite multae, ex se aequae possibiles, non existant.

2<sup>o</sup> Si ens finitum rationem modi existentiae suae (perfectionis suae finitae) in se haberet: a) immutabile esset, quia necessario existeret hoc certo modo, quod experientiae repugnat; b) non intelligeretur, cur hoc modo finito existeret, quum tamen alii modi existendi, alii gradus perfectionis aequae possibiles essent et omne ens perfectionem suam appetat terminosque remove conetur; c) deberet ex se esse immutabile, quia necessario existeret ex suppositione, simulque mutabile, ut experientia testatur, idque iterum ex se, siquidem supponitur ens a se, quod totam rationem et essendi et existendi in se habet. *Ergo* res finita non potest esse a se.)

2. *Ex conceptu entis immutabilis*: Ens a se est immutabile, ut probavimus. *Atqui* solum ens infinitum est immutabile. *Ergo* ens a se est infinitum.

*Probo minorem*: Illud ens immutabile est, quod neque crescere, neque decrescere, neque ullam perfectionem, quam nondum habet, recipere potest, siquidem nulla ratio mutationis in eo excogitari potest. *Atqui* solum ens infinitum nequit crescere, quia infinito nihil maius est, neque decrescere, quia ex finitis infinitum non fit; neque ullam perfectionem recipere potest, quia omnia habet. *Ergo* solum infinitum est immutabile.

(3. *Per exclusionem*: Ratio enim, cur ens a se esset finitum, esset vel extra ipsum, vel in ipso. *Atqui* non primum, quia ens a se totum esse habet a se, non aliunde; non alterum, quia ens a se non se ipsum limitare potest: non per suam actionem; haec enim iam supponit ens a se constitutum et omne ens tendit in perfectionem, non limitationem sui ipsius; non per essentiam suam; nam quo perfectior res est, eo maiorem rationem existendi habet. Unde solum ens infinitum omnem rationem existendi habet.

### IV. Ens a se est absolutum.

*Prob.* 1. *Ex conceptu entis a se*: Absolutum illud vocatur, quod est prorsus independens (quasi ab omnibus vinculis solutum): tum a causa efficiente (quoad originem), tum a causa finali (quoad finem), tum in essendo, tum in operando (quoad causam materialem vel formalem). *Atqui* solum ens a se hanc habet independentiam omnimodam; est enim a) independens a causa efficiente, i. e. quoad originem; nam est a se; b) est independens a causa omni finali; nam quemadmodum habet rationem existentiae in se, ita etiam sibi ipsi est finis, neque ad aliud ens ordinatur; existentia rerum dependet a fine rerum; finis enim est ratio, cur causa physica effectum producat. Ens igitur, quod habet rationem existentiae in se, finis quoque rationem in se habere debet; c) est independens in essendo, quia totum esse habet a se; neque est compositum, siquidem in composito partes pendent tum ab invicem, tum a causa eas ad unum componente. Deinde partes in se sunt finitae vel infinitae: si primum, infinitum ex finitis resultaret; sin alterum, unum infinitum alio maius esset, quod utrumque infinito repugnat; d) est tandem independens in operando, quia operatio sequitur esse, ac proinde et obiectum et determinationem ad operandum in se habere debet. Differt igitur a nobis, quia et materia et instrumentis (saltem organis) indigemus ad aliquid extra efficiendum; ens autem absolutum creare potest solo imperio voluntatis. *Ergo* ens a se est ens absolutum.

2. *Ex conceptu entis infiniti*: Ens a se est ens infinitum et per consequens in omni linea entis perfectum, ita ut maius esse non possit. *Atqui* quod est undique perfectum, non potest ullo modo ab alio ente dependere; secus enim indigeret aliqua perfectione; quod autem sub omni ratione est independens, est ens absolutum. *Ergo* ens a se est ens absolutum.)

V. *Ens a se est aeternum.*

*Prob. 1. Ex conceptu entis a se*: Ens a se existit per suam essentiam. *Atqui* quod existit per suam essentiam, debet esse aeternum; nam quod res per essentiam habet, semper habet et eodem semper modo habet, quemadmodum circulus semper erat eritque rotundus. Si igitur aliquando per suam essentiam existit, semper existit.

2. *Ex conceptu entis immutabilis*: Quod immutabile est, non potest a non-esse ad esse transire. *Atqui* ens a se est immutabile. *Ergo* sempiternum est.

3. *Ex conceptu entis infiniti*: Quod infinitum est, debet etiam habere existentiam, quia haec est perfectio simpliciter simplex. *Atqui* ens a se est infinitum. *Ergo* . . .

4. *Ex conceptu entis absoluti*: Quod absolutum est, ab omni re est independens, ac proinde etiam ab omni causa efficiente. *Atqui* ens a se est absolutum. *Ergo* est aeternum.)

VI. *Ens a se est unicum.*

*Prob. 1. Ex conceptu entis infiniti*: Infinitum est, quod omnes perfectiones in se continet, extra quod igitur nulla potest esse perfectio ab ipso neque dependens, neque derivata. *Atqui* ens a se est infinitum. *Ergo* ens a se unicum est in suo ordine.

2. *Ex conceptu entis absoluti*: Ens a se est absolutum i. e. independens ab omni alio sub quovis respectu. *Atqui* si praeter ipsum esset aliud ens infinitum, respectu illius non iam esset absolutum, si quidem illud neque facere neque destruere neque immutare posset. *Ergo* ens a se est unicum.

3. *Ex absurdis*: Si plura entia infinita essent, aut essent eiusdem perfectionis, aut diversae. Si primum, deberent numero idem esse principium, si quidem praeter perfectionem infinitam alia esse nequit; sin alterum, aut alterutrum non iam esset infinitum, ac proinde nostra suppositio falsa est; aut esset alteri contradictorie oppositum, i. e. unum infinite bonum, alterum infinite malum. Sed a) malum est privatio boni ac proinde negatio entis; infinite malum igitur esset infinita negatio entis, i. e. nihil absolutum; b) infinite bonum et infinite malum se destruerent, sicut affirmatio et negatio, lux et tenebrae, ac proinde nihil esse posset, quod experientiae repugnat. *Ergo* ens a se debet esse unicum.

Neve dicas, ens infinitum debere alias perfectiones etiam finitas excludere; nam omnis finita perfectio ab ipso dependet tanquam a causa sua, et perfectiones finitae utcumque auctae nunquam infinitam efficient; sunt igitur respectu entis infiniti, quasi non essent, neque quidquam perfectionis superaddunt infinitae, quemadmodum pecunia depicta nil pretii pecuniae reali addit. Accedit, quod enti infinito etiam operatio ad extra debet attribui eaque infinita et absoluta. Iam vero haec non potest esse in eo, ut aliquod obiectum in se infinitum producat; hoc enim in se repugnat, ut vidimus; ergo saltem modus producendi debet esse infinitae et absolutae perfectionis, qui non potest esse nisi in actione creandi.

*Coroll. I.* Quum ens a se sit infinitum, debet omnes perfectiones easque modo perfecto in se continere. Est igitur substantia, quia haec est perfectio omnium maxime fundamentalis; deinde substantia spiritualis, siquidem substantia materialis est composita ex partibus ac proinde imperfecta, subiecta loco, tempori, mutationi, neque potest esse infinita. Porro est substantia spiritualis intellectu et voluntate praedita, non tamen sicut in nobis sunt potentiae, quae actibus successivis actuantur; haec enim est imperfectio. Unde in ente absoluto esse et intelligere et velle non realiter differunt; est igitur actus purissimus, quemadmodum iam Aristoteles (Metaph. XII, cc. 6 et 7) evidenter ostendit. Denique ens infinitum debet esse omnipraesens ac proinde supra omne spatium et tempus; eius actio ad extra, saltem quoad modum, debet esse infinita sc. potest creare, quaecumque, quando et quomocumque voluerit.

II. Ex dictis patet, res huius mundi utpote finitas, mutabiles, perituras, dependentes, non posse esse ex se, neque esse partes entis alicuius absoluti, necessarii, sed supponere et requirere ens aliquod a se existens, aeternum, absolutum, immutabile, infinitum, quod sit causa omnium rerum et fons omnis perfectionis tum existentis tum possibilis. Omnis igitur Atheismus, Pantheismus, Materialismus est absurdus et sanae rationi repugnat. Idem autem dicendum est de Polytheismo veterum et aliquorum recentium (Renouvier) et de Dualismo Persarum, Indorum etc., qui praeter principium bonum aliud statuebant naturam suam malum, quam sententiam aliqui recentes cum St. Mill restaurare conantur.)